


1938

L

1741

D. f. 8

M 111 27.



1
5

DISSERTATIO INAVGVRALIS
AD
CHRISTIANAE DISCIPLINAE PRAECEPTVM
DE PRECANDI OFFICIO
OBSERVATA QVAEDAM POTISSIMVM PRACTICA
CONTINENS

QVAM PRO CAPESSENDIS
SVMMIS IN THEOLOGIA HONORIBVS
ORDINIS THEOLOGORVM HELMSTADIENSIS

IUDICIO SVBIECIT

CONCIONATOR SEMISECVLARIS
LVDOVICVS CHRISTOPHORVS SCHMAHLING

ECCLESiarum et SCHOLARVM PER DIOCESES IN OSTERAVICENSEM
IN PROVINCIA HALBERSTADIENSI ANTISTES ET PASTOR
PRIMARIUS OSTERAVICENSES.



HELMSTADII
LITERIS C. G. FLECKEISEN.
CIOIDCCCLXXXVIII.

S. P. Malom

ILLVSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO VIRO

D O M I N O IMPERATORI AEGIDIUO VON TATZIS

EBERH. IVL. GVILIEM. ERN.

TICART DE MASSOW

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS ADMINISTRO
STATVS INTIMO ATQVE SENATVS ECCLESIASTICI
PER TOTVM REGIS IMPERIVM SVPREMI
MODERATORI CET.

ITEMQVE

VIRIS

PERILLVSTRBVS AC SVMME VENERANDIS

EIVSDEM SENATVS CONSILIARIIS

DE RE PVBLICA SACRA ET LITERARIA MERENTISSIMIS

PATRONIS AC FAVORIBVS GRATIOSISSIMIS

BISCHOFSTADTENS INVAGALVARS

CHRISTIANAE ORGANICAE MUSICOLOGIE

DE PREBENDI OFFICIO

ORGANISTARIA GAVADDIENSIS PRATICAE

CONTINGENTIA

GRAN PRO CATESSINIS

SUMLAS IN THEOLOGIA HOMINIS

ORDINIS THEOLOGORUM IN STUTTGARTIA

MANUSCRIPTA

AN

THEOLOGIAS CHRISTIANORUM SCHOLASTICAE

INSTITUTUS ET LIBERIS SCIENTIAS ET LITERATURAS
HABENTIA ET PRACTICAS ET INDIVIDUALIA ADOPTANTIA
SCHOLASTICAS ET LIBERAS SCIENTIAS ET LITERATURAS

HESSE

LIBRARIUS O. G. F. FRIEDEMANN

1750

LIBELLVM HVNC INAVGVRALEM
IMPENSÆ SVAE VERI RECTIQVE TVNDI VOLVNTATIS

TESSERAM .
HEBRII IV. ERN.

RELIGIOSO OBSERVANTIAE SENSV TRADIT

INCOLVMITATEM OMNISQVE GENERIS FELICITATEM
FROSPEROS GRAVISSIMORVM LABORVM SUCCESSVS
AC SPLENDIDA PRAEMIA

PIE APPREGATVR

SVIQVE IPSIVS MEMORIAM BENEVOLAM

DVM PROMERERI VIDEATVR

VERECVNDE COMMENDAT

CONCIONATOR SEMISECVLARIS

LVDOVICVS CHRISTOPHORVS SCHMAHLING.

§. I.

§. I.

Prooemium.

Nusquam gentium, si modo ad aliquem animi virium morumque cultum peruenierant homines, resque terrestres et sua ipsorum fata a Numine aliquo regi cognoverant, inusitata, verum necessaria potius, grauis, honesta et salutaris habita, ideoque et publice et priuatim commendata et frequentata fuit haec Numinis illius profitendi colendique ratio, quae *precibus* fit. Resonabant antiquitus prece cantuque non Christianorum solum aedes sacrae, verum delubra etiam gentium, Iudeorum synagogae, Muhammedanorum templa, omniumque omnino, quorun nobis quaequam notitia aperta est, populorum inter factorum instituta et religiones priatas et publicas, quibus adsueti sunt, commune est precandi officium et exercitium ^{a)}. Interim facile

a) Scriptores multos, qui communem hanc terrarum populis consuetudinem describunt, recenset Cl. Meiners, Grundriss der Gesch. aller Religionen, cap. XIII. p. 96. Observatu digna quaedam super illa re leguntur apud b. I. A. Cramer, die Lehre vom Gebet nach der Offenb. u. Vernunft. cap. I. Verum Matthaei Brouërii de Nidek, ICI, de populorum veterum et recentiorum adorationibus liber (Amst. 1713.) rem plane non exhaustit. De Iudeorum circa preces disciplina et institutis doctissime scriptis praeter alios Io. Godesfr. Lakemacher (quem Osterauicum meum genuerat) in Obsfl. philolog. P. VII.

intelligitur, neque ad defendendam et laudandam rem ipsam, vel procreandam eius iustam existimationem, neque ad modi, quo peragenda sit, normam stabiendam, sufficere nobis posse consuetudinis huius vetustatem et communatem; hoc tantum volumus, tale institutum, quod non ex arbitrio quodam imperantium, legislatorum ac sacerdotum, sed ex libera voluntate et communi quodam sensu generis humani, prognatum, late propagatum et vsquequaque receptum videatur, merito dignum esse, de quo data opportunitate diligentius cogitemus, et de quo, quaenam potissimum ex Christianae disciplinae decretis eius ratio sit, quaeramus. Mihi vero iam nihil aliud propositum est animo, quam communem illam, simplicem et popularem, quam libri nostri sacri et praecipiunt et praeceunt, veri summique Dei adorandi rationem, qualem recte mihi intellexisse videor, et qualem per diuturnum vitae meae cursum et quinquaginta muneris ecclesiastici annos vsl meo multorumque aliorum hominum experimento spectatam, virtutis, pietatis tranquillitatisque incrementa magna proferre vidi, eam igitur, inquam, hoc loco paullo latius, quam alibi iam a me factum ^{b)}, describere, ab interpretamentis ac dubiis defendere, atque in primis, quam accommodata illa sit communi hominum sensui, intellectui et vsl vitae, et magis adhuc a populi doctoribus in ecclesiis ac scholis accommodari possit, declarare. Nec nouam itaque vel inusitatum, fateor, nec impeditam valde, ex intimis doctrinae penetralibus petitam, vel multiplicis lectionis copia illu-

strans
obf. I. De veteribus Christianis, aliud academie Iuliae de-
cuss, *Ioach. Hildebrand.* in Rituall orantum, Helmst. 1696.

b) Briefe an Herrn von Rochow, über die Berichtigungen des
selben, p. 46.

strandam, sumsi materiam, ponderosam tamen fatis et vtilem, atque studiis hisce, quibus vitam viresque meas hucusque consecraui, apprime aptam.

§. II.

Deum apprēcari quid sit.

Fieri solet, vt qui de *precibus* precandique officio verba faciunt, de singulari quodam precum genere et argu-
mento, quod nimirum *petitione* seu *flagitatione* constat, vel
intelligi velint ipsi, vel ab aliis certe intelligentur; iisdem-
que fere limitibus circumscripta est Latinae vocis illius, item-
que Graecae προσευχή, προσευχεσθαι, in antiquis scriptori-
bus ^{c)}). Verum latius patet notio rei, de qua nobis iam
fermo

- c) *Precari* tamen, *venerari* et *adorare* saepe ut plane idem signi-
ficantia usurpatur et secum coniunguntur. Nec tam curiosus
ac distinctus circa quaedam verba cognata fuit usus loquendi,
quam eum esse vult grammaticorum subtilitas. Donatus: "Ora-
re est placidos petere; obsecrare iratos rogare: et obsecrare
est plus quam orans, orans plus quam rogans. Obsecrari
est adiurare, quem rogamus; supplicamus aduerfis magis vel
cum lacrymis." Habent et Iudei plura vocabula de precibus:
נְבָךְ, בְּרָכָה, בְּרַכָּה, al. de quibus Lakemacher l. c. p. 114. Ne-
que Graeci etiam verbis: θεραπεύειν, δοξάσειν, ἐργάζεσθαι, ἔτενειν,
προσεπιέν, προσκυνεῖν, λυχεῖσθαι et προτευγεσθαι, ἀπεισθαι, δεεῖσθαι,
λιπεῖσθαι et aliis promiscue utebantur, sed, ubi non opus erat
follisite distinguere, peculiarem ac finitam singulorum verbo-
rum vim negligebant. Προσκυνεῖν tamen in sacris etiam scripto-
ribus non solet nisi de venerationis gestu, genu flexione potis-
simum, adhiberi. Et sic fere in omnibus linguis, quae voca-
bula nunc maxime de *veneratione Dei* in consuetudine sunt, ea
origine et natura sua aut *externum* aliquem *honoris cultum*,
aut *solam petitionem* vel *postulationem* indicant; quae obser-
vatio

VIII

fermo est, ex mente librorum diuinorum et omnis doctrinae Christianae. Sic Paulus apostolus in precibus duas res maxime coniungi vult; primum gratiarum actionem, tum necessitatum, et nostrarum et alienarum, commemorationem ad Deum delatam: ἐν πεποντι προσευχῇ καὶ τῇ δεσμῇ μετὰ εὐχαριστίας ταῖς αἰτηματαῖς εἴμων γνωστόν πρὸς τὸν Θεόν. Phil. IV, 6. Nec tamen id agit hoc loco, ut curate dinumeret partes omnes, quas comprehendit omne hoc pietatis exercendae negotium; appareat faltem, sub illa re, quam synonymis fere vocibus: προσευχὴ et δεσμός, ostendit, tamquam sub genere suo, species plures vel formas esse, quarum nunc solum duas commendat, εὐχαριστία et αἰτηματα. Sed plures eiusmodi formas, et rei natura poscit, et alia librorum sacrorum oracula docent, isti generi subiici posse ac debere, de quibus infra dicemus.

Deum enim precari vel apprēcari nihil aliud est, quam versare Deum animo, vel cum Deo conuersari, ita quidem, vt ipsum praesentem *tibi* habeas, cominus et coram ipse mentis intenta acie adfectuque contueatis. Eodem fere redit, quando in puerili fere institutione preces dicuntur *colloquia cum Deo instituta*^{d)}; nisi quod, qui sic definiunt, non solum inpropriae magis loquuntur, sed *verborum* etiam et *alloquiorum*, vlua voce conceptorum, in adorando Namine necesse.

ratio nobis circa primitivas hominum, ab animi cultura rudiūm, de religione notitias lucem quandam aperire videtur.

d) Ita nuper adhuc b. J. D. Michaelis, *Moral.* p. 220. vbi multa admodum ieiuna, more non suo, proferit. — Ceterum illa finitio iam apud Clementem Alex. occurrit. Εἰς, inquit, ἔνδικος πρὸς τὸν Θεόν ἱεύχη: addit tamen: ὁς τὸν αὐτοῦ πόλεις, quo non distincte, sed ornate, rem sic describi significat. Strom. lib. VII. p. 722. ed. Sylburg.

necessitatem aliquam postulare videntur, quae tamen, ex ipsa loquendi consuetudine sacris scriptoribus usitata, nulla est. Sic Hannam, Samuelis matrem, legimus 1 Sam. I, 33. precatam, intimo pectore quidem locutam, labia non mouisse. Et caueri satis non potest, ne ipsarum cogitationum, quibus mens occupata praesente Deo est, verbis edifferendarum negotium ita urgeamus, vt sine illo preces omnino non fieri posse videantur; alioquin facile in erudiendis hominibus vel ignarium illum usum, aut abusum potius, prescriptarum ab aliis formularum precandi, quo fere sonos tantum et voces repetunt, vel preces deblaterant, siue intellectas, siue non intellectas, sustinebimus, vel etiam excusationem neglecesti officii, a sermonis inopia petitam, ulro illis praebemus. Vera summi Numinis προσκυνησις, Christo doctore, εν πνευματι peragitur, Ioh. V, 24. ideoque, ut non tempora destinata, non loca sacrata, non occasiones sollemnes, ita nec verborum poscit apparatus. Quamquam re ita ferente, vel pietatis affectus viuam vocem sua sponte extolleat, vel etiam pluribus ad adorandum Deum congregatis, necessarium erit, ut vel unus praebeat reliquis, vel omnes concinant.

Interim verba sensum animi agitatum non inuita sequentur, et pectus, ut Quintilianus ait, faciet disertos, vel, ut ipse Christus, in re quamquam dissimili Matth. XII, 34. ex abundantia cordis lingua loquetur. Hoc igitur ante omnia agant, qui precandi officium aliis commendare atque fructum ex illo certum et magnum promittere cupiunt, ut iustas, certas inquietasque animis illorum notiones de Deo Deique ad homines vniuersos ac singulos respectu inserant. Profecto enim sic non modo materiam bene precandi suppeditabunt, sed voluntatem etiam, desiderium ac diligentiam

B

pre-

X

precandi excitabunt illis certius, quam si necessitatem, utilitatem iucunditatemque piae huius exercitationis operose praedicauerint, vel formulas precandi aut memoria ediscendas, aut legendas relegendasque praescripferint.

§. III.

Proprius precationis character.

Distinguimus itaque hoc genus consuetudinis animo cum Deo ineundae ab aliis pietatis exercitiis eo potissimum, quod, Deum precibus nostris adeuntes, ipsum nobis nunc maxime praesentem, nostri memorem ac scientem, rerumque nostrarum spectatorem testemque certissimum et proximum cogitamus. Alia res est, quando vel ex operibus naturae Deum contemplamur, vel oracula eius perpendimus, vel dicentem de religione et pietate doctorem audimus aut legimus; in his enim omnibus non tam Deum ipsum, quam res diuinas, animo versamus, nec tam Deum, quatenus ad nos potissimum pertinet nobisque praefest, et quatenus nos ad illum pertinemus eique subsumus ac praefesto sumus, quam quatenus in vniuersitate rebus creatis omnibus maior, earumque auctor et gubernator est, animo nostro proponimus. Atque in hac igitur viua praefentis Numinis cogitatione animum, siue admirationis et venerationis, siue gaudii, siue desiderii, siue submissionis sensu affectum, ab omnibus aliis rebus, quibus circumdamur, auocatum et attersum, extollimus ad ipsum solum, atque in ipso solo desfigimus. Multum fane differt hic animi status a fanaticis imaginationibus et ab entheo illo furore, in quem phantiae ludibria pios etiam homines haud raro abripiunt; nullum enim hic opus phantasiae, pura veritas animo obueratur;

fatur; simpliciter et plana intelligentia occupatur; placide et absque omni aestu omnia fiunt.

Iam vero talis quaedam animi ad Deum conuersio, verbis declarata, naturali quodam impulsu in *alloquium* transibit, hoc est, non *de Deo*, vt grammatici loquuntur, in tertia persona, sed *ad Deum*, in persona secunda, vt videntem et audientem, loquemur. Interim hoc neutiquam sic intelligendum est, ac si citra alloquium eiusmodi preces fieri nec possint, nec debeant; dum enim praesentis nosque minus obseruantis et percipientis Dei notio menti obueretur, perinde fuerit, vtrum per secundam an tertiam personam oratio erumpat e). In primis vero cauedum est, ne hoc alloquii genus commisceamus cum illa sermonis figura, quam rhetores *apoſtrophēn* vocant, et qua vel personae absentes aut mortuae, vel res etiam inanimes, tamquam praesentes et viuae et auditū praeditae, finguntur et cum affectu quodam aduocantur. Haec enim apostrophe merum est schema loquendi, meraque fictio per phantasiae vim et audaciam procreata, cuius (vt obiter hoc addam) vſu, vel abuſu potius, per antiquos Christianorum homiletas et poetas, nisi orta primum, certe propagata et confirmata est Martyrum et Sanctorum, immo et imaginum, adoratio.

Mul-

e) Ita et iudicat celeb. Garve, in epimetris ad *Pailey Grundſätze der Moral und Politik*. Vol. II. p. 540. "Die Form kann bey der Sache wohl etwas thun, aber nicht alles. Ob ich Gott in der zweyten oder dritten Person anrede, kann nur wenig beytragen, die Ideen seiner Gegenwart bey mir zu verstärken, oder zu schwächen etc. Interim nemo negabit, animum, Dei praesentis cogitatione iam plenum, proprio quodam impetu ferri in allocutionem, hacque simul vicissim istam cogitationem sustentari magis et confirmari.

XII

Multum vero differt ab illo figurati sermonis genere, quo praesentiam personae vel rei imaginamur tantum, propria haec ad Deum, vere praesentem, allocutio, atque cum nulla quaquam, quae cum creaturis instituitur, conuersandi ratione comparari potest; nisi forsitan aliquo modo cum ea, qua vteremur, quando amico post cortinam sedenti amoris, desiderii grataeque mentis sensa explicaremus. Haec igitur est illa praesentissimi Numinis notio, quacum in Psalmis haud raro ad preces accedere vel dicuntur vel iubentur veri Dei cultores. Quando nimirum legimus: *eamus ad faciem Domini cum gratiarum actione* Ps. XCV, 2. vel: *venite in conspectum eius cum cantu* Ps. C, 2. vel: *deprecor faciem tuam ex toto animo*; his et similibus loquendi modis respicitur quidem ad peculiarem aliquam sedem quasi Dei in templo, simul tamen non obscure significatur, hoc in adorando Deo praecipuum esse opus, ut mens nostra illum praesentem videat, ab illo perspici et audiri certum habeat, maioriisque honori sibi aestimet hanc audientiam, quam si quis ad summum terrarum regem salutandum admittatur. Huc etiam illud pertinet grauiter et egregie dictum: *qui in Deum intuentur et confluunt, vultus eorum non erubescunt, non pudore vel metu, quo regis terreni adspectus percellit subiectos, perfunduntur*, Ps. XXXIV, 6.

Quum igitur caput rei in eo sit, vt, qui precesmittunt ad Deum, Deum non modo esse, sed adesse etiam, intueri audireque hominum cogitata, optata, consilia, agnoscant, idque intimo corde persuasum habeant, ac profiteantur; ante omnia necessarium erit, vt, qui doctores aliorum esse eosque ad frugiferam hanc pietatis exercitationem amandam instituendamque incitare cupimus, firmam illis fixamque Dei, vt rerum vniuersarum domini, notionem fug-

suggeramus, quam ubique et semper in pectore gestent voluntque, nec velint vel possint amplius missam facere. Discant igitur a teneris ex mundi huius aedificio et singularum, quae illud constituant, partium structura, sapientissimis finibus accommodata, infundit illam vim, intelligentiam et bonitatem Dei contuleri, meditari et admirari; quod ut fiat, sane non scholarum tricis et subtilitatibus, quae animum disturbant magis et confundunt, quam erigunt ac firmant, sed adsidua tantum sensus communis illius, ad quem vitam omnem nostram conformare solemus, exercitatione et sollicitatione opus est. Atque haec illa ipsa notio est, quam per vniuersum librorum diuinorum codicem nobis imprimit et inculcat videmus, aequa sublimis et magnifica, ac facilis et perspicua. Tum vero videndum est, ne nostrae institutionis alumni acquiescant in solis nominibus istarum perfectionum, quas Deo inesse ex operibus eius cognoscunt, ut omnipotentiae, sapientiae, bonitatis, sanctitatis; in quo saepe fit, ut nihil praeter sonum verborum cogitent ac pronuntient homines praeferunt non eruditum ac de populo; sed rem potius ipsam, generalibus istis nominibus designatam, per suas partes diligenter ac saepe illis intuendam ac ponderandam dabimus. Porro vero accedere debet praecipue hoc, ut homo cuius in summi Numinis cogitatione simul ad se ipsum, ad res sibi proprias, respicere cogitareque aduerscat, semet etiam a Deo haud praeteriri et negligi, sed Deo cognitum et carum esse, suas res, negotia sua ab illius tota pendere nutu, siquidem is, Paullo docente, *§ μαρτυρει αριστος ενασση ημων ιπαχει*, Act. XVII, 27. Quo praesentiae diuinae sensu intimo hoc potissimum efficietur, ut, quod idem vir sanctus eodem loco vocat, velint *ζητειν και ευγιοτειν τον Κυριον*. Denique vero id agamus, ut facultatem consequantur hi, quibus nostra disciplina prodeesse vult,

XIV.

vult, meditandi et cogitandi, cogitataque certo quodam ordine disponendi; errare enim et vagari incertis sinibus, atque per phantasiae quamdam sedulitatem semper ad noua et aliena discurrere, inimicum hoc est, vt omni mentis ad rem aliquam grauem intentioni, ita maxime huic, quae in solum Deum ferri atque in illo tota versari debet. Neque enim hanc mentis agitationem in rebus communis iure ad omnes pertinentibus, quales profecto sunt religionis et pietatis praecepta et instituta, doctorum hominum uice propriam reddamus, et ab illa excludamus reliquos. *Beatum* praedicat Dauides hominem, *qui lege Iouae delectatur eamque diu noctuque meditatur*, Ps. I, 2. nec sane hominem doctum ibi, sed de populo quemcumque veri rectique studiosum, intelligit. Patet simul, potissimum ante preces ipsas facientes animo quasi collecto et tranquillo opus, seu, vt Baco Verulamius dicit, pausam quamdam rerum terrenarum sciendam esse; vnde fit, vt illae preces, quae ab imparatis et omnia alia agitantibus fiunt, v. g. ad mensam, raro cum iusta et attentione et efficacia instituantur^{f)}.

§. IV.

Quinque precationis argumenta et genera.

Precibus nostris, generatim sumtis de animi ad Deum praesentein intentione, prout res fert, aut laudamus celebramusque Dei optimi maximi immensas virtutes, aut beneficia ab eo accepta percensemus, ei soli tribuimus, nosque illis deuinctos obstrictosque fatemur, aut necessitates nostras

f) *Acutas quasdam et elegantes de animi habitu, ad precandi officium sua sponte proclivi, iusta quoque methodo illum in aliis provocandi obseruationes dabit b.* *I. A. Ernesti* disp. de disciplina Christiana §. 45. sqq. Opusc. Theol. p. 338. ed. nouiss.

nostras oriundaque inde desideria nostra commemoramus,
aut vitiorum et peccatorum nostrorum conscientiam et poe-
nitentiam eloquimur; eorumque veniam poscimus, *aut* de-
nique consecramus nos ac deuouemus nos Deo, vel vitae
sanctitatem et obedientiam legibus diuinis pollicemur. Quin-
que hinc oriuntur genera precationum, quae lubet his a se
inuicem nominibus distinguere, ut primum *adoratio Dei*, se-
condum *gratiarum actio*, tertium *invocatio*, quartum *suppli-
catio*, et quintum denique *precatio votiva* vel *deuotio* nuncu-
petur. De his vero singulis iam singulatim disputabimus.

Ceterum vix necesse fuerit monere, precum haec ge-
nera et posse eodem tempore coniungi et vero etiam singula
seorsim fieri, tam in priuato cuiusque, quam in communione
plurium et publico etiam Dei cultu; si modo, qui aliis, vel
audientibus, vel etiam legentibus, preces preeount, quando
varia animi sensa simul eloqui et complura precum genera
iungere volunt, simplici semper aptoque ordine, sic quidem,
ut una ex altera naturali quodam flumine sequatur senten-
tia, procedant, nec ritu fanaticorum longis abruptisque ser-
monibus plus taedii ferant, quam incitamenti.

§. V.

I. *Adoratio*.

Adorare, salutare, laudare et celebrare Deos prisci scri-
ptores fere promiscue dixerunt de reuerentiae significationi-
bus.^{g)} Atqui veri Numinis etiam adorationem nihil aliud
esse

g) *Adorare* aliquem nil aliud est, quam *orare ad eum*, ut *alloqui,*
apprecari, nec doctiori eget explicatione, quasi sit *ad os mo-
nere manum, osculari* cet. *Salutationis* in re sacra nomen
a consuetudine clientum patronos mane salutandi petitum;
hinc

XVI

esse ponimus, quam precationem, qua reuerentiam, illi debitam animoque nostro impressam, declaramus. Vt autem non honoramus animo quemquam, nisi quem virtutibus excellere videmus; ita summus ei debetur honos, vel reuerentia potius integra et indiuisa Deo, quem infinitis et naturae aeternae, et animi perfectionibus, quidquid rerum creatarum est, necessario superare agnoscimus. Fontem itaque illius reuerentiae claram viuamque diuinam maiestatis cognitionem esse, ac neminem vere Deum reuereri et adorare posse, nisi qui hanc teneat cognitionem, planissimum est.

Videamus igitur, ne hoc precationis genus praecipiamus, vel formulas laudum diuinarum tradamus illis, qui nondum de suo precari didicerunt, vel rudes adhuc sunt ab illa virtutum diuinarum scientia; alioquin verba incogitata et inania proferent, atque omnis illorum pietas vel in speciem vertetur et pompa, vel in aliquam mechanicam consuetudinem, sensuque carebit et fructu omni. Adsuescant potius antea animum ad supremi Numinis perfectiones cogitandas attollere; neque hoc quidem sic, ut nominatum saltim illas eloqui atque enumerare sciant, sed ut sponte sua intelligent ac probe sentiant vim nominibus, quibus hasce virtutes in doctrina Christiana designamus, subiectam. Nec tam indigent homines de populo profunda notionum istarum vniuersalium indagatione, quam lucida et viua scientia. Adducantur potissimum ad operum Dei magnificorum notitiam et considerationem; contueantur vniuersae naturae opes ac salu-

hinc et proprie de matutinis potissimum adorationibus usurpat. Egregie Seneca: Vetemus salutationibus matutinis fungi sacerdotes et foribus adsidere templorum; humana ambitio istis officiis capit, Epist. 95. Saepe tamen latius patet et cis huius potestas.

salubritatem in rebus, quae sensibus obviae sunt; humani corporis, et potissimum animi, dotes, quibus ad excellen-
tium aliquam vsque maiorem consequendam instructi fu-
mus; prouidentiam, in generis humani et singulorum homi-
num historia conspicuam; et reliqua omnia, in quibus Deus
nobis infinitam potestatem, sapientiam et φιλαρέωπιαν suam
patefecit, quo et potissimum pertinent consilia Dei et bene-
ficia in restituenda per Christum salute. Ita sensim non vi-
res et copiam solum celebrandi Deum capient, sed volun-
tatem etiam ac studium ad reuerentiae suae erga Deum
sensus alendos et acuendos adferent, atque intelligent sine
dubio, quo frequentius illa omnia meditati fuerint, et quo
clarius Dei virtutes perspexerint immensas, eo magis, et
suauiissimum et dignissimum homine negotium esse, Deum ad-
mirari, venerari et laudare, quo quidem animus noster su-
pra se ipsum efferatur atque in sublimiorem quasi aliquam
imperii diuini prouinciam, ad coelos geniorumque vel an-
gelorum confortia, rapiatur. Et ipse, hac via progrediendo,
quam non difficile omnino sit, iuuentutis etiam animos ad
laudes Deo ex imo pectore dicendas accendere, non sine
gaudio magno saepius expertus fui, quando nimirum abso-
luta de virtutibus diuinis tractatione catechumenos ad sacrae
coenae vsum praeparandos exhortabar, iam vt ipsis pericu-
lum facerent, captam ex institutione notitiam Dei ac sensus,
per illam sibi impressos, suopte ingenio eloquendi.

Atque ita simul capere mentem ac pondus poterunt
tot illustrium, quas in sacro codice deprehendimus, diuinae
maiestatis laudationum ac δοξογνωσίαν. (Deuter. XXXII. Pl.
XIX. XXXIV. LXVI. XCV. CIII. CIV. al. Ies. VI. 6. Ierem.
X. 6. Apoc. IV. 11. etc.) Nec sine proprio quodam con-
centu animi hymnos eius argumenti, cuius est v. c. qui Am-

C

bro-

XVIII

brosianus vulgo vocari solet, voce sua prosequentur. Optandum erat modo, vt materiam hanc, laudes Dei, plures, qui dote et arte poetica pollent, dignissimam putarent, quam ornarent, adeoque vt idem, de quo modo dixi, hymnus, imitatione et accommodatione varia ad complures publici cultus occasiones, vt factum iam nunc est ad nonnullas, magis aptus redderetur.

S. VI.

II. Gratiarum actio.

Grates habere alteri est beneficiorum eius memoriam cum gaudii sensu recolere; atque in illo pars est amoris. Amamus enim facile omnes, quos bonos et beneulos nouimus, quamquam haud necessario simul eos tali erga nosmet animo praeditos, vel beneficio quoquam nos ab illis ornatos comperimus; quod si factum fuerit, ex amore nascitur grata mens, quae itaque dici potest amor erga benefactorem. Et quoniam in omni amore, ita etiam in gratia habendis, quidam est gaudii sensus; qui si abesset, et si locum eius vel torpor, vel dolor adeo, occuparet, omnis beneficiorum recordatio non posset gratae mentis esse, vel gratae menti attribui.

Iam vero gratae mentis est in beneficiorum seruanda memoria *primum* hoc, vt lubenter memineris eius, cui bona quaepiam accepta fers, qui, quo maior et excellentior est, eo cariora merito sua nobis dona reddit; *deinde*, vt magnitudinem aestimes horum beneficiorum, teque illis vere beatum, tibi probe consultum, iudices; *tum*, vt non debito alicui benefacientis, vel merito alicui tuo ipsius, adscribas isthaec bona, sed liberam voluntatem in illis conferendis, generofum animum, ab omni lucri et gloriae studio alienum, agno.

XIX

agnoscas, te vero ipsum vel immerntem, vel indignum tanto amore, existimes; denique ut redames amantem, eiusque amorem potro demereris ac tueri tibi omni, quo possis, studio et obsequio, omnique officiorum genere contendas. Haec omnia quo modo conueniant in mentis, beneficiis multis Deo obstrictae notione, et quomodo applicari debant ad iustum officii huius descriptionem, facile intelligitur.

Iustum vero diuinae bonitatis et munificentiae agnitionem, et beneficiorum ex illa ad homines redundantium commemorationem, vel tacitam, vel verbis expressam, nullo modo fortius ac facundius commendare poterimus aliis, quam si ante omnia magis magisque illis commonstremus, quam sint felices, atque, ut sua bona norint, eos commonefaciamus. Recognoscenda et perlustranda itaque sunt bona omnia, quae vel tota Deum solum habent auctorem, vel quae per Dei prouidentiam et gubernationem ad vniuersos et singulos proficiscuntur. Neque multum difficultatis hoc habet negotium; dum enim adsuefiamus circumspicere et per partes vitae et conditionis nostrae ire cogitando, vndeque nobis occurant facile aliae illius bonitatis, quae omnibus bene cupit et sapienter prospicit, monumenta: animi corporisque bona, commoda varia et multa, a tempore, a patria, a parentibus, amicis, vel aliis hominibus, quibuscum necessitudine aliqua coniuncti sumus; superata pericula, quae vel nostra, vel aliorum culpa et imprudentia, vel casus fortuiti adduxerant; studiorum, conatuum, laborum felix successus, vires adspirante et occasiones praebente Deo cet. Tum vero simul eo intendatur nostra, vel a nobis ipsis aliorum, quibus gratam ingenerare mentem cupimus, cogitandi sollertia, ut videant, se nullo suo merito hisce a

C 2

Deo

XX

Deo munieribus ornatos esse, nihilo digniores aliis, quibus ea desint, multis adeo quamquam feliciores, minus tamen dignos; perpendant mansuetudinem et indulgentiam Dei in ferendis malefactis suis, benignitatem in auertendis maioris corruptelae ac pertinaciae peccandi periculis, in reuocando ad meliorem frugem et ad saniora consilia animo, in incitamentis et opportunitatibus ad recte sentiendum et agendum. Aestimanda enim inter beneficia diuina potissimum, quae ad animum pertinent, in quibus illa, quae per Christum in nos collata sunt, primum iure suo locum et ardenterissimas grates ab homine Christiano sibi vindicant. Ista igitur bona omnis generis, quibus fruimur, Deo a nobis deberi, itemque omnis futurae felicitatis nostrae spem in illo sitam esse, ab illo amari mortales nos, itaque, quidquid accidat nobis, ipso sciente ac regente accidere, nullumque alium habere finem, quam qui ad salutis nostrae incrementum pertingat, hoc, (meam iterum experientiam testor), simplicioribus etiam persuaderi potest, si modo per illam singularia, quibus vita et conditio cuiusque donata est, commoda recensendi et ponderandi rationem, quae maxime populari est captui accommodata, demonstratio progrediatur ^{h)}). Accedat modo

h) Non possum h. l. meam non facere egregiam b. Ernestii de populari ista docendi ratione, quam commendauit, animaduersi nem. "Huius viae, inquit, demonstrandae et vna emetienda indicium fecit Lutherus doctoribus populi puerilisque aetatis, si aduertere animum et sequi indicium vellent. Nam in explicatione symboli apostolici, vt vocant, Deum creatorem coeli et terrae sic interpretatur, vt coelum et terram uno verbo attingat creaturarum, in homine haereat enumeraetque bona eius, et a natura et a prouidentia; vt velut in rem praesentem adductus homo recognoscat bona sua, quibus, nihil tale meritus,

do et hoc, vt aptis occasionibus, locis, temporibusque, iisque et statis, et obuiis, vtamur, quibus facile gratae mentis impulsus aliquis excitari possit, atque vt intelligent nostri, ipso vnu et experimento edocti, non tam esse officium molesta lege aliqua sibi mandatum, Deo gratias habere et agere, quam amoenissimam animi aduersiōnem, repetitum et auctum ac durabilem beneficentiae diuinae gustatum. Neque sic tandem sermonis copia deerit, vere gratis; cantat enim, qui laetus est, et animi adsectum clara voce excutit. Exempla vero piarum et magnificarum ἐξομολογησεων (hoc enim proprium est bibliorum Graecorum de gratiarum actionibus vocabulum) permulta reperimus in psalmis, vt IX. XCII. XCV. XCVI. CIII-CVII. CXXXVI. al.

§. VII.

III. Inuocatio Dei. a) Officium.

Tertium precationis genus, de quo paullo prolixius agendum videtur, *inuocationem* diximus; preces proprie et strictiori sensu, vel *preces petitorias*, quarum quod argumentum sit et quis proprius character, luculentum est satis. Pertinent enim ad necessitates nostras, quas multas esse et multiplices, quoad viuimus, corporis, vitae, animi, aliorum etiam hominum, quibuscum vario nexus cohaeremus, facile vel paruuli sentiant. Harum igitur necessitatium quando remedia et alleuamenta desideramus, speramus et quaerimus a Deo; inuocamus Deum, seu, quod idem est, inuocatio Dei est beneficiorum eius desiderium et spes, quam ipsi Deo profitemur vel declaramus. Ut autem poscamus Deum beneficia sua, non nisi fide et fiducia in Deum reposita vrge-

mur;

tus, vtatur et fruatur, ea que cogitatione sensum amoris et gratiae excitet." Diff. de discipl. Christ. l. c. p. 345.

XXII

mur; quare utrumque hoc, confidere Deo, et rogare Deum, tanquam indiscessa ponit Iacobus Apostolus; poscere iubet εν πίστει, μηδὲν διαχρημένον, hoc est fidente solidoque animo, Ep. I, 6. atque την εὐχὴν της πίστεως laudat, preces ex fiducia et cum fiducia faciendas, V, 15. Eaedem vero causae, quae nobis et officium et ius tribuunt confidendi Deo, simul impellunt nos ad eum inuocandum. Scimus enim *primum*, Deum perspectam fatis habere omnem nostram inopiam, nec egere omnino aliqua illius enarratione; *deinde*, vi praeditum esse et facultate praepotenti, beneficiandi et adiuvandi; *tum*, benevolentia sua omnes complecti homines, maxime paterno amore probos; *porro*, sapientissimo consilio res nostras curare, ac rectius, quam ipsimet valeamus, nobis prospicere; *denique*, et fidum ac veracem esse, siisque stare promissis, et spem animis nostris a se ipso insitam, nec posse nec velle fallere.

Verum augetur pondus officii, quando libris diuinis edocti cognoscimus, Deum non modo ius et veniam nobis concessisse, desideriis ipsum nostris adeundi, (vt magna laus est regum, qui liberum ad se aditum ciuibus reddunt, petitibusque aures faciles praebent), sed iussisse etiam et praecepsisse. Quis enim ignoret illud: *Inuoca me in tempore angustiae!* (Pf. L, 15.) vel illud: *Petite, quaerite, pulsate!* (Matth. VII, 7.) quid? quod inter grauissima hominum peccata resertur, (Pf. LIII, 5.) *Deum non inuocare.* Atqui talia mandata et sapientissimo prorsus consilio in libris diuinis promulgari, et in hominum, quorum ad pietatem animos conformare cupimus, institutione magno cum fructu vrgeri, videt quilibet. Videt enim facile, Deum nolle rogari, tanquam inscium rerum humanarum, ac certiorem faciendum; nec ambitione, vel sui ipsius causa, a multis millibus adiri

ac

ac postulari cupere: sed aequum tamen et iustum esse, quod omnem humanae felicitatis auctorem et statorem agnoscamus Deum et profiteamur, et piaculum contra, illum praeferire ac negligere. Procedit vero simul hoc precum genus ex fiducia, quam Deus iure suo sibi vindicat ab hominibus, quippe qui tot ac tanta potentiae, sapientiae et benignitatis documenta illis dedit, ut igitur illa sine summa iniuria Deo non denegari possit, nec nisi ab illis, qui sibi per omnia sufficere ipsi, suis viribus et suo ingento nimium tribuere, a Deo velle non pendere, nec quidquam ei acceptum ferre videntur, quod profecto parum ab atheismi infania. Nec putauerim gratum esse posse acceptis bonis eum, qui bona haec flagitare repudiauerit, quae flagitare citra pudorem et poterat et debebat adeo. Tam itaque egregium illud praeceptum, quo Deum homines rogare iubemur! nec vere monemur, ille ne precibus innumerorum, toties repetitis, grauetur, vel (quod de fictitiis diis veteres eorum cultores dicere siveuerunt) fatigetur, si quidem potius ἀδικλείπτως rogari, nos vero adeo perdurare precibus, nec languescere rogando, vult. 1 Thest. V, 17. Rom. XII, 12. Luc. XVIII, 1.

Bene itaque conuenit secum ipso et cum iustis de Dei prouidentia notitiis hoc praeceptum. Neque adeo philosophi prisci, a Christiana fide alieni, vñquam negarunt necessitatem huius officii, nisi hi, qui aut coeco fato res humanas relictas, vt Stoici, aut Deum quidem, vel Deos, sed rerum humanarum plane incuriosos esse, putarent, vt Epicureiⁱ⁾. In primis

vero

i) Origenis haec iam fuit obseruatio. Ita enim is: ‘Οὐτω δη δ λαγος ἐσιν ἀδόξος, και μη τυχειν ἐπισημω των προϊσταμενων αυτω, οὐδε μηδε παντιν ἐμρισκεσθαι, εἰσι ποτε των προνοιαν παριδέξαμεν και θεων ἐπισηματων των ἔλους τυχειν μη προσιεῖται’ Εἰσ γαρ το δογμα τοι των παντων ἀδειν και την ἐστιν τη θεων ἀφεμενα, η των μηχανων ἐργατων τελετων θεον, την

XXIV

vero Socratici non modo sanae rationi consentaneum, sed liberale etiam ac fructuosum hoc existimariunt pietatis exercitium, et, quomodo recte sit instituendum, bene docuerunt^{k).} Ex quo vero tempore diuina luce philosophiam collustravit Christi disciplina, multo clarius intelligi, demonstrarique et necessitas, et utilitas rei, potuit, neque nisi ex male intellectis huius disciplinae placitis originem trahunt istae argutiae, quibus nostro iterum tempore eam nonnulli impugnant.

§. VIII.

b) *Effectus et fructus.*

In primis vero ea, quae de effectu et fructu inuocatio-
nis Dei sacra oracula praecipiunt, solent a multis vel in du-
biu[m] vocari, vel in alienos a simplici interpretatione sensus
pertrahi. Audire Deum precatio[n]es hominum, hoc est, ad-
mittere et ratas habere, annuere rogatis, eaque ad effectum
perdu-

memorix de pura interpretatu. H. e. "Est autem haec tam ignobilis
sententia (vanam scilicet rem esse preces) adeoque neminem
illustrem virum reperit propugnato[re]m, vt ne omnino quidem
deprehendatur inter illos, qui prouidentiam admittunt deum-
que rebus praeficiunt viueris, quisquam, qui orationem repu-
diat. Est enim haec sententia vel eorum, qui omnino athei
funt deumque esse negant, aut horum, qui nomine tantum
deum ponunt, prouidentiam vero ei admunt." Lib. de ora-
tione, cap. V. Opp. T. III. p. 425. ed. Wirceb. Vix tamen
veterum scriptorum, qui aduersus hoc Deos rogandi officium
data opera insurrexerunt, (vt Maximus Tyrius. Lucianus,
Iuuenalis, Persius) quisquam fuerit, qui non magis prauas
hominum opinio[n]es et consuetudines in isto negotio, quam
rem ipsam, ob oculos habuisse videatur.

^{k)} Ut Plato in secundo Alcibiade; Xenophon in memorab. Socr.
L. I. c. 3.

perducere, multis locis, qui partim dogmatum et testimoniorum vim habent, partim exempla rei vere factae offerunt, in sacro codice docemur, v. c. Pf. LXV; 3. Ierem. XXIX, 12. et locis iam supra laudatis, ac sexcentis aliis. Atque hic ille fructus vel solus est, vel praecipuus tamen, quem divini scriptores petitionibus hominum ad Deum missis pollicentur. Interim distinguunt hodie plerique effectum rei internum s. moralem, et externum seu physicum. Priorem aiunt in animo precantis oriri, ipso precandi actu; posteriorem ad Dei prouidentiam remittunt, quae, si modo res ferat, precibus annuat. Neque vero iam disputabimus de utilitatibus illis, quas ad effectum illum primi generis referunt, ab ipsa hac animi exercitatione redeuntibus ad precantem; v. c. quod hic renouet apud se pia animi sensa et cogitata, fidem suam confirmet, spem suam alat, solatum capiat, et quae sunt reliqua eius generis. Interim apparet, hos fructus partim esse communes omnium prectionis generum, non proprios solius invocationis, de qua loquimur, partim vero tales, ut nisi, qui inuocat Deum, homo ad preces suas adserat pia illa animi sensa, vix reportare ex illis vel augere admodum possit. Quidquid est, nunc vnicce dicam de altero illo inuocationis effectu, quem *exauditionem* vulgo vocant, atque communem sacrae scripturae de illa doctrinam explicare, illustrare atque a falsis quorundam consecutionibus defendere tentabo!).

Duplici-

- 1) Exstat elegantissima dissertatio S. Ven. *Nitzschii*, Theologi Vitebergenfis: *Ratio, qua Christus Iesus est in commendando precandi officio, declarata et asserta, 1790.* itemque eiusdem programma: *Nonnulla ad historiam de Iesu religiosae prectionis morali, 1790.* Quae scripta, si prius mihi innotuerint, lubenter in usum meum conuertisse.

D

Duplicis generis sunt beneficia cuncta, quae optare precibusque flagitare Deum possunt homines; alia enim pertinent ad vitae nostrae animalis ac terrestris, alia ad animi nostri immortalis felicitatem; illa natura sua externo sensu percipiuntur, haec interno tantum. Primi generis sunt corporis incoluntas, commoda vitae, praesidia, opes ad victum cultumque necessariae, aeris et tempestatis prospera vicissitudo, oriunda inde agrorum fertilitas, operum felix successus, pacis perennitas, liberatio a malis, quae huiusmodi bonis aduersantur, et quae sunt reliqua. Secundi autem, mens sana eiusque virium conseruatio et angmentum, salutaris rerum diuinarum cognitio, virtutum incrementa, animi et conscientiae tranquillitas, peccatorum venia, fides in Iesu Christo ponenda, ciuitas illa coelestis, qua iam in his terris donamur. Absconum et ineptum foret, sperare, nos haec omnino solis precibus consequi, nostra opera nostroque studio supersedere posse, quod esset hominis maleferiati et ignavi, qui sane Deum, ut scriptura loquitur, tentaret et ludibrio haberet. Idem enim, qui precibus adiri vult, in eadem scriptura iussit etiam operam nos dare, ut viis utimur bonorum suorum consequendorum, agrum colamus, pane nostro vescamur in sudore, animae salutem quaeramus, insectemur coeleste illud regnum, et eluctemur per portam angustam. Interim quia non omnis operarum nostrarum successus a nobis ipsis pendet, sed plurima ad Deum prouidentem redeunt, cuius est, vires, auxilia, occassiones rerum gerendarum suppeditare, impedimenta auertere, omnia ad optatum finem perducere, dubium esse nequit, quin utrumque hoc beneficiorum genus posci a nobis, ac rite poscentibus tribuere velit.

Iam vero si quis homo suam in nobis fiduciam reponat, et res suas nobis bona fide committat, quia nos bene aduer-

aduersus se animatos, atque omni vi et facultate bene sibi consulendi praeditos esse iudicat, nonne omni studio enitamur, vt spem eius non solum adimpleamus, sed etiam superemus, si bona nobis insit voluntas, animi aequitas et honestae gloriae cupido? Eodem vero animo erga nos esse Deum optimum maximum, docet Christus, infinitaque bonitate iustitia et aequitate, quam eo iam declarat, quod in oratione, exempli causa nobis proposita, *patris* nomine illum compellare iubet, paternoque amore Deum rogata nostra excipere docet, Matth. VII, 9 - 11. Quod si Deus igitur nullam omnino precum nostrarum non ratione habet, tunc sane nec fides et pietas nostra quidquam apud illum valeret, quam tamen serio postulat, et cui certissimas promissiones adiunxit. Quod Christus nonnumquam aegrotis, ad secundam valetudinem restitutis, dicit: *fides tua te liberauit*, id sine dubio multi iam, qui preces ad Deum fundebant ardentes et deuotas, eiusque tutelam et auxilium inuocabant in angustiis, vsu suo experti, a malis liberati et votorum damnati sunt, eodem saepe temporis momento et inter precandum. Ego certe meo ipsius exemplo ausim id confirmare; unde preces mihi factas esse fateor medicinae instar, cuius per vitae meae decursum salubritas ita se mihi probauit, eam ut vicissim aliis fidenti animo commendare possim. Quamquam non semper pari modo salutem adferunt efficacissima etiam remedia, quando efficientia eorum vel vitio naturae, vel errore quodam tollitur.

Probe tamen intelligendum est hoc, quod audiat rogata Deus et perficiat; quod si sinistre interpretentur, non mirum est, saepe falli sua spe homines, et votis excidere. Fieri plane non potest, Deus vt omnium hominum desideriis annuat, et, quaecunque petant ab eo, concedat. Nam ubi

D 2

Chri-

XXVIII

Christus tale quidquam promittit, v. c. Matth. XI, 29. nexus ac finis orationis luculenter ostendit, de praefidiis illum loqui singularibus, quae Apostolis ad doctrinam suam propagandam necessaria futura, et numquam defutura sint. Saepe sic vota hominum sibi aduersantur, ut eunctis satis fieri non possit, velut si utraque pars belligerantium victoriā poscat. Saepe etiam parum recte iudicant homines de rebus, quas sibi expertunt; noxia pro utilibus, et utilia pro noxiis reputant, ut in illos cadat, quod Christus dicit Matth. XX, 22. *nescitis, quid petatis.* Inimicus ergo fauor et crudelia forent dona, si quidquid homines parum prudentes flagitarent, illis concederet Deus ^{m)}. Igitur hoc, quod Deus annuit hominum precibus, nihil aliud significare potest, quam *primum*, largitur Deus precium causa, quae petuntur, si vere bona, nec vel potentium, vel aliorum saluti, vel finibus Dei contraria sunt, ita quidem, ut qui rogata accipiunt, ea non accepissent, si non rogassent; *deinde* remuneratur Deus preces et fiduciam precibus comprobata, si non iisdem, quae rogata erant, aliis tamen, et melioribus bonis ac commodis. Et hoc quidem sensu recte dici potest, omnes Deum audire preces, nec villas plane vanas esse et vacuas fructu.

Neque tamen omnes eodem modo impletur. Sunt enim bona alia ad salutem nostram apprime necessaria, quorum

^{m)} Egregie Iuuenalis, Sat. X, 2. sqq. et 346.

— — Pauci dignoscere possunt

Vera bona; atque illis multum diuersa, remota

Erroris nebula. —

Permittes ipsis expendere numinibus, quid

Conueniat nobis, rebusque sit vtile nostris.

Nam pro iucundis aptissima quaeque dabunt dili;

Carior est illis homo, quam sibi. —

XXIX

rum hominibus recte potentibus conferendorum fidem Deus dedit, v. c. peccata poenitentibus remittere, meriti Christi participes facere, auxilia praebere ad emendationem mentis Spiritu Sancto, solatio adipicere tristes, salutem aeternam dare, alia, quae per promissiones diuinias certo exspectare licet; quamquam et gradus diuersi harum rerum sint, et tempus, viae et instrumenta ab arbitrio diuino pendeant. Alia minus necessaria sunt, et partem tantum salutis constituant, terrestria bona, dubia interdum et ambigua, cuiusmodi sunt sanitas, opes et diuitiae, honor et auctoritas, prospet progressus conatum, alia, quorum vim et effectum praecipue in uniuersam nostram salutem, veram et aeternam illam, perspicere nobis non datum est. Saepe adeo contraria his bonis mala optabiliiori sunt successu; saepe morbus hominem ad mentis emendandae studium, indigentia ad laborem compellit, depresso conditio superbiam compescit. Praetereaque res aduersae multis occasionem praebent exercendi virtutes, quae in secundis locum non habent, patientiam, fiduciam in Deo firmorem, constantiam, animi aequitatem et mansuetudinem, quae et sanctimoniam nostram augent, et praemiis aeternis a Deo ornantur. In huius itaque generis apprecandas bonis et deprecandas malis desideria nostra diuini Numinis iudicio subilienda et voluntati eius committenda sunt, quia saepe atrocius punire homines Deus non posset, quam precibus illorum implendis. Neque tam propterea inanes putanda et negligenda preces; vel indigne ferendum, quod illis Deus non annuat. Nam nec ita morosus est pater hominum Deus, vt nolit rogari nisi ea, quae certissime profutura sint liberis; nec ita durus, vt quidquam vere boni ex mero arbitrio illis neget. Sapientis est, Deum rogare, vt, quae nobis proficiant, largiatur, licet non rogatus, et quae noceant et voluntati eius repugnant,

dene-

XXX

deneget, licet vel maxime flagitatus ^{a)}). Christus ipse in summa animi afflictione, humili prostratus, et sanguineo sudore perfusus, hunc in modum orauit: Pater! non mea, sed tua fiat voluntas, Matth. XXVI. 39.

§. IX.

c) Obiectiones quaedam diluuntur.

In dubium vocavit philosophia multorum hoc, quod diserte tamen docet scriptura sacra, audire atque implere Deum hominum preces, praecipue, quibus terrestria bona appetant, earumque omnino rationem habere. Incongruum et inutile esse aiunt, rogare Deum, ut campos pluvia irriget, imbres et aëris intemperiem repellat, largam segeti messem, victoriam armis concedat, vires fracti corporis restituat, et talia plura. Putant enim, haec in fatis esse omnia, atque ordine naturae definita, quem pre-cibus mortales mutare non possimus. Mundum fingunt, ut machinam grandein, quam Deus ab origine sua ita semel constituerit, ut mutationes eius ex prima eius constitutione secundum certas naturae leges sequantur. Porro decreta Dei volunt esse immutabilia, quae ut retractentur, preces nostrae haudquaquam sint effectuare.

Enimvero mundum hunc omnino non tam machinae, quam cimitati potius comparandam esse bene constitutae, appareat. In machina enim nihil videmus, quam res inanimis, ut spiras, cylindros, rotas, vectes, cochleas, catenas, libramenta, aliasque corporum formas, que non propria quadam vi, sed solo nexu et mutua relatione, effectum suum proferunt. In mundo autem reperimus etiam natu-

a) Laudat merito Socrates apud Platonem (Alcib. II.) poetæ illud:

Zeu βροτεύ, τα με ταῦλα και ἐνχωρεῖς και αἰρυκτοῖς
·Αμφι διδου' τα δε δεινα και ἐνχωρεῖς αἰπαλαζαί.

naturas animatas, inter quas praecipuae omnium sunt, quae ratione praeditae sunt, ut homines. Iam licet siderum motus, temporum vicissitudines, animalium et plantarum procreatio legibus naturae regantur constantibus et aeternis, permultas tamen mutationes ipsi in orbe terrarum producunt homines pro arbitrio suo, secundum leges psychologicas et morales, quae admodum differunt a physicis et mechanicis. Infinite enim variant terrae formam, aedificia exstruunt, flumina aggeribus coercent, silvas extirpant, agros, natura nil nisi lolium et gramina, quando sibi relinquenterunt, producturos, aratro versant, fruges ferre iubent quaslibet, et multiplici labore ac arte naturae faciem novam proferunt, eamque exornant, quae omnia sane non sunt machinarum opera. Nec vero simile est, alias naturas ratione praeditas, quales angelos vocat et describit sacra scriptura, tamquam ministros Dei in tuendis ac fortunandis hominibus (hoc enim vult illud κληρονομειν σωτηραν Hebr. II, 14. *fortunari, beneficia consequi*) vel planetarum etiam et reliquorum orbium coelestium incolas, otiosos esse mundi spectatores, quamquam, qua ratione operentur, corpora moueant, et ad vniuersi perfectionem conferant, perspicere non possimus. Vti anima nostra corpus suum mouet absque impulsu et pressu, et vti Deus mundum sola sua voluntate procreauit et regit; ita fieri potest et illud. Et quid vetat, summum Numen vi sua infinita mundo corporeo cooperari, quod factum esse per miracula, historiae sacrae documenta extant? Sed saepe et palam id fieri, parum credibile est, quando facta huius generis sine suo excident, nisi raro perpetrentur, et ad hanc rem apte cum Horatio dicimus: non Deus interfit, nisi dignus vindice nodus inciderit. Nostro adhuc aevo Herschelius vim planetarum centrifugam, qua circa soles suos rotantur, demonstrauit, continuo imminui

aethe-

XXXII

aetheris reactione et resistentia; vnde sequitur, illos ad soles suos vsque proprius accedere, tandemque fieri non posse, quin praecipites in eosdem ruant; quare necesse fuerit, Deum operi suo succurrere et labantes naturae vires restaurare. Nec opificis hoc vitium est, vel artis inscitiam aut inopiam virium indicat, quod opus aliquod ab eo elaboratum labefactatur, siquidem omnis materia constantem et immutabilem formam non admittit. Sic horologium summo artificio confectum subinde interuentu et auxilio artis indiget, non culpa auctoris sui, sed quia natura ipsius rei per se poscit, ut rotae denticulatae ysu deterantur, vt vis elastica libramenti motu continuo infringatur, etc.

Quod autem ad decreta Dei pertinet, illa quidem aeterna et immutabilia, non tamen absoluta, dixeris, ratione hominum, libera voluntate praeditorum, quorum in ordinandis fatis Deum rationem habere modi, quo ipsi hac libertate vtuntur, et bonitas, iustitia ac sapientia Dei, et sacra scriptura credere iubet; alioquin mundi physici gubernatio plane sola esset, nec cum morali arctissime cohaereret. Interim non nostrum negotium est, has subtilitates philosophicas extricare, et in decreta Dei anxie inquirere, sed ita agere, ac si omnia libera essent, et a nobis penderent, quia omnis conatus agendi perit successu felice desperato. Ita igitur in precibus etiam faciendis non tam haec animum cogitatio debet occupare, Deum iam tulisse sententiam, quam haec, velle Deum a nobis precibus rogari, atque illarum in gubernanda fortuna nostra rationem habere; hac enim spe sublata omnis perit pietas, omnis etiam illa utilitas moralis, quam relinquunt precibus hi, qui tollunt omnem alium illarum fructum. Verum rogare Deum bona etiam terrestria, non licere tantum nobis, sed oportere etiam nos, id vel vnico

vnico, quod Christo dedit in ipsa oratione dominica, preecepto patescere potest, atque in populari religionis institutione percommode hoc preeceptum ad rem illam declarandam conuertitur. Ita enim orare Deum iubet: *τον ἀγτον ἡμῶν τον επιβοσιον δος ἡμῖν σημερον.* Horum verborum perquam fructuosa explicatio Lutheri est; v. c. quod panis vocabulum omne genus bonorum terrestrium complectatur, quae vitam hanc reddant commodam; quod panem non suum quisque vnice sibi rogare, sed etiam pro aliis petere, Christus iubeat; cui tamen et hoc addi poterat, quod hoc loco moneamus, vt pane nostro, non alieno, vesci, nostro labore et impendio vivere studeamus, nihiloque minus, dum rogamus Deum, vt nobis preebeat vitae subsidia, cogitemus, labore solo nostro, quantumuis patientissimo, illa non posse quaeri, Deus nisi vires conseruet ac gratiore labores nostros fortunet. Verbum *επιβοσις* malim vertisset Lutherus *necessarius*, quam *quotidianus*; indicat enim sine dubio, quantum satis est ad hanc vitam sustentandam, et monet, non magnam vim opum ad luxum et ostentationem quaerere, sed in illis, quae ad necessitates nostras pertineant, conquiescere ^{o)}). Quod autem additur *σημερον*, sane non *ταυτολογει*, sed docetur, non annum et perennem viatum esse rogandum, sed quotidianum, qui sufficiat ad breue tempus, nec, vt alibi preecipit Christus, de die crastino anxie nimis esse cogitandum. Matth. VI, 34. Et quauis fere redeunte messe Deus per ipsam rerum naturam idem illud preeceptum iterat, dum, quantum sufficit ad vitam nostram sustentandam per annum tempus, tantum colligimus, ne nimis fecuri simus, sed recordemur, nos perpe-

^{o)} Hanc et fuisse plerorumque et intelligentiorum antiquae ecclesiae, Graecae potissimum, Patrum interpretationem, disci potest e *Suiceri thesauro ecclesiast.* T. I. p. 1170.

XXXIV

perpetuo penderet a Deo. Atque propterea non improbanda est pia consuetudo, in coetibus etiam publicis rogandi Deum, ut prosperam coeli temperiem agrestibus operis tribuat; adeoque illa in sacris literis commendari videtur, lac. V, 19. 20.

Est vero illa ipsa oratio Domini nostri, inter alia, quae in sacro codice reperiuntur, piae fidentisque flagitationis Dei exempla, (v. c. Pf. LXXXV. XC. CXVI. CXXI. CXLIII. al.) aptissimum facile et fructuosissimum. Attamen illud, praeter morem vulgatum, parvulis non, nisi probe intellexit et sollicite illustratum, praeceundum atque ediscendum esse putauerim. Nec tam saepe repetendum, quam virgo fit, ne in usum plane incogitatum abeat, quod fieri solet maxime in cultu Dei per ecclesiam Romanensem recepto, ubi per globulos, vel, ut vocant, rosarium, Deo superstitione adnumerantur, in orbem recurrendo semper, harum precum sexcenties repetitae, ideoque frigidae, compellationes, ne quid dicam de illis Mariæ salutationibus, quae alternis adduntur. Verum inter Euangelicos etiam reliquiae quaedam passim inueniuntur pristini istius in cultu Dei mechanismi ^{p).}

Tandem ut omnes illi abusus, quibus communis librorum sacrorum de hoc genere precationis disciplina exposita est, et propter quos illa a nonnullis hodie impugnatur, diffidunt, vrgenda maxime est necessitas animi, non modo attenti ac deuoti, sed probi etiam, integri ac puri, sine quo Deum non ratas habiturum esse preces hominum, et ratio fert, et scriptura sacrā docet. Ioh. IX, 31. Iac. V, 16. Pf. CXLV,

p) De prudentiori in sacris publicis usu orationis dominicae monita quaedam egregia dedit b. Döderlein, Erläuterung des Vater Unser, Norimb. 1782.

CXLV. 19. Atque huius paecepti diligenter inculcandi occasiones tum alias multas inuenient et in usum conuentent doctores publici, tum maxime commodam, quando aegrotantium lectulis adsident, vbi ego certe experientia mea edocitus fui, quantum tunc valeat seria ad respicendum, ad redeundum in gratiam cum Deo prius, quam in tutelam vitiae is inuocaretur, adhortatio. Idem tenendum de precatiōibus coram coetu instituendis, vel belli, vel contagionis tempestate, vel pro messe fertili, atque generatim omnino, quando hominum animi vel desiderio boni alicuius magni, vel mali timore aut praesenti sensu, occupantur. Nam temerariam hominum male feriotorum in solis precibus suis fiduciam lepide iam derisit philosophus ille, qui, nauis vetustus, in magna tempestate maleficos nautas Iouem sospitorem in clamantes, commonefecit, nimis ne vocem attollerent suam; alioquin Iouem, illos hic adesse expertum, nauim sine dubio in voraginem demersurum esse. Verbo, omnis haec de expetendis et impetrāndis prece beneficiis Dei doctrina sic usurpanda est, vt incitamentum fiat et instrumentum vitae hominum Christianorum ad virtutis normam sancte conformandae.

§. X.

Deprecatio pro aliis.

Vt pro aliis etiam inuocemus Deum ac deprecemur, Paulus hortatur 1 Tim. II, 1. Non quasi deprecatione nostra meritum illis aliquod conciliare, et gratiam Dei acquirere possimus, id quod numquam diuini scriptores de alio quam homine, numquam etiam de angelis vel coelitibus, quantumuis sanctissimis, verum uice de Iesu Christo, dicunt, quem propterea summum sacerdotem et intercessorem

XXXVI

rem pro salute humana laudat, atque cum pontifice maximo Iudeorum, festo expiationis die quotannis pro vniuerso populo Deum interpellante, comparat epistola ad Hebraeos. Est autem haec deprecatio nostra pro aliis testimonium amoris erga illos, et perquam dignum, quod coram Deo edamus, simul et frugiferum ad alendum eundem amorem. Christiani enim hominis est, homines primum illos, quibuscum eum vel sanguinis, vel arctioris societatis, vinculo Deus ipse coniunxit, tum vero reliquos omnes amore suo complecti, bene illis aequae, ut sibi, cupere, illorum necessitates pro suis reputare, gaudere de illorum prosperitate, idque precibus etiam suis profiteri sincero animo. Ac Deus nobis ipsis benefacit multisfariam, dum aliis; ideoque et pro nobis ipsis petimus, dum pro aliis. Habet igitur haec pia intercessio easdem et regulas et conditiones; ac propter ea maxime commendanda est, quod in animum nobis reuocat memoriam ac benevolentiam illorum, quorum felicitas ad nos ipsos modo quoquam pertinet. Quare in sacris publicis hoc precandi pro aliis, pro priuatis ac ciubus, pro patria vniuersa, pro magistratibus, institutum, nequit quam negligendum, sed ita peragendum est, ut agnoscant homines, non consuetudinis vel honoris causa illud fieri, sed dignissimum esse homine Christiano et pietatis et humanitatis officium. Quod autem ad intercessiones pro mortuis, eae plane inutiles et superuacaneae esse videntur, et in sacris literis nullo vel mandato vel exemplo probantur. Fatendum tamen, illas in antiqua ecclesia iam a seculo secundo usitatas fuisse passim ^{q)}; neque adeo videntur in apologia confessio-

q) vid. *Ioach. Hildebrandi* primitiae ecclesia offertorium pro defunctis. Helmst. 1693.

fessionis Augustanae prorsus reprehendi ¹⁾). Verum non aliter ille mos excusari potest; quam quatenus est in eo confessio immortalis defunctorum vitae, perpetuaeque nec morte interruptae in illos benevolentiae superstitum. Quando autem vim eamdem, quae precibus tribuenda est petitoris, tribuebant veteres; mox inde orta sunt varia commenta vana et monstrosa, ut purgatorius ignis, indulgentiarum literae, alia.

§. XI.

IV. *Supplicatio.*

Quartum genus precum *supplicationem* vocare habet. Vocabulum enim illud preces enixas omnis generis, tum vero potissimum illas indicabat apud veteres Romanos, quae, quum res publica in magno quodam periculo et metu versaretur, vel calamitate quadam premeretur, cum sacrificiis et pompis sollemnibus instituebantur. Quare non inepte videatur illud a nobis transferri posse ad confessionem peccatorum cum significatione poenitentiae coniunctam. Quam hacc differat argumento siio a reliquis precationibus, et longe alios eam sensus exprimere, manifestum est. Necessariam autem esse, patet ex locis Prou. XXXVIII, 13. ¹ Ioh. I, 8. 9. Commendatur etiam exemplis, Ps. XXXII, 5. Nehem. IX, 2. Matth. III, 6. item psalmis quinque poenitentialibus, et aliis. In primis tamen dignae sunt memoratae parabolae iliae,

¹⁾ Artic. XII. append. "Quod Pontificii contra nos allegant Patres de *oblationibus pro mortuis*, scimus, veteres loqui de *oratione pro mortuis*, quam nos non prohibemus." Et paucis interiectis: "Epiphanius testatur, Aërium sensisse, quod orationes pro mortuis sint inutiles; id reprehendit; neque nos Aërio patrocinamur."

XXXVIII

iae, quas Christi ore prolatas apud Lucam cap. XV legimus, et quas publicarum supplicationem diebus praetereat et applicare ad animum audientium dudum consueui.

Prima igitur pars materiae talium precationum est *confessio* peccati; *καταγωτιν*, *έμολογησιν*, *εξαγορευσιν* Graecae ecclesiae doctores vocarunt. Atque dignum sane hoc opus est homine, sanctissimum Numen cogitante serio, quum nemmo ullus vitiis non prematur suis, eorumque conscientia animo non perturbetur. Celari autem et negari coram Deo, animi vitaeque hominum spectatore certissimo et falli nescio, nihil quidquam potest male vel cogitatorum vel factorum, neque vere etiam indulgeri et condonari ab illo, nisi post seriam emendationem; quae fieri nequit, nisi antecedat illa agnitio erroris, et culpae peccando contractae accusatio. Grauissimi igitur huius et saluberrimi negotii vera ratio frequenter ac severa docenda est; et explicanda a concionatoriis. Dicendum in primis de eo, quod nulla spes veniae sit et promissionum diuinarum, quibus facile acquiescunt pigri et leues animi, nisi desistant a peccato; quod ferat quidem clementer ac toleret Deus improbos et immorigeros, amare autem et beare non possit; quod summo iure simul et summa gratia Deus, qui pro arbitrio suo peccantibus penas infligere et remittere possit, veniae impetrandaes conditionem statuat hanc, ut ad officium suum redeant; et quae alia sunt huius generis. Tum vero etiam praecipienda est illa seueritas in sui ipsorum animaduersione, qua nec ignorare, nec negare, nec excusare culpam suam velint, nec etiam eo absoluere totum hoc confessionis laborem, ut in vniuersum agnoscant et fateantur se legis diuinae immemores vel peccatores esse aut fuisse, sed qua potissimum in suam quisque et propriam indolem, suam vitam suaque malefacta descend-

XXXIX

descendat, singula curatius perpendat et recenseat. Quae quidem industria non est grata hominibus, praecipue nondum adiuetis, et saepe cogit illos, sibi displicere; tamen docendi sunt, tristitiam ex illa redundantem longe superari magno fructu, quem proferat.

Mos est antiquis confessionis peccatorum coram sacerdote facienda in ecclesia Romana, isque adeo lege severa ita sanctius fuit a summis pontificibus, ut negligere illum nefas putetur. Priuatam vocant et auricularem confessionem, eamque intelligunt simul de curata peccatorum, quorum sibi conscië sunt et quae nominatim recensere possunt confitentes, enumeratione. Quidquid molestum, et inutile tamen, immo etiam noxiū, habebat haec consuetudo, Lutherò duce in ecclesiis nostris abrogatum est; relicta tamen confessio priuata, ante sacrae coenae usum coram publico ecclesiae doctore instituerida, ea mente, ut ille partim folatio erigat, partim consilio suo adiunet, atque ad fideli virtutisque studia excitet confessores. Multis tamen iu locis, nostro potissimum aetio, libertas data est confessionis generalis et publicae, quae omnino magna sua commoda habet. Interim fateor, priuatam illam non omnino contemnendam et abrogandam mihi videri, quia benignam praebet arctioris vinculi inter ecclesiae doctorem et membra iungendi opportunitatem, atque illi promptiore reddit horum singulorum curam in omnibus, quae ad disciplinam Christianam pertinent. Olim quum in agro adhuc coetui alicui praessem, peculiarem omnium, qui ad sacram coenam accedebant, indicem sollicitè feci, eo consilio, ut nomen suum antea penes me deferentium cuique conuenientia dicere possem; eiusque laboris non exiguum videor frustum tulisse in multis maxime illorum, quos adolescentes ipse ad primum sacramen-

ti

XL

ti eucharistici usum instruxeram, iterantesque illum ante priuatum, ut recto tramite pergerent ire, commonefeci. Et senatus prouinciae nostraræ ecclesiasticus mea haec instituta probauit, iussitque omnes, qui generali confessione vti vellet, iuniores et adultos nomina sua penes me antea profiteri.

Poenitentiae, quae coram Deo declarata altera pars est supplicationis, voce comprehendimus omnes ingratos animi sensus, qui ex conscientia culpæ iustaue aestimatio-ne nascuntur, pudorem, tristitiam, indignationem, horrorem, odium ac taedium peccati; *Μετανοειν* aptius Graeci vocant^{s)}. Dolet iam natura sua, qui legem iusti honestique a se violatam seit, serioque cogitat et sibi vitio vertit; multo grauius, qui in eo simul Dei recordatur, Dei praecepta transiisse, Dei iura violasse, Dei beneficia spreuuisse, Deique iudicium et poenas incucurrisse perpendit. Neque opus est, ut damnorum et periculorum, ex inique et impie factis oriundorum, experientia vel exspectatio hunc dolorem prouocet; neque etiam satis hoc est ad iustum ac vere salubrem poenitentiam. Interim initium huius fere sit ab imprudentiae illius et insipientiae, qua peccando parum commodi et multum damni, gaudium breue et diuturnam tristitiam, vanam glo-

s) Hac enim in voce notio inest sententiae, *postea*, post male facta nimurum, latae, simul et sententiae *mutatae* conuersae et emendatae; duarum enim praepositionum Latinarum, *post* et *trans*, vim explet Graeca haec *μετανοειν*, aliis nominibus vel verbis praefixa. Hiuc iam, quam frugifera sit vocis *μετανοειν* potestas biblica, et quam plane inepta ad illam reddendam Latinorum *Poenitentia*, sensu ecclesiastico potissimum sumta, apparet. Melius antiquiores Latini patres *resipiscientiam* vocarunt. Et bene Laetantius, inst. diuin L. VI. c. 24. "Resipiscit, quem errati piget, qui se ipsum castigat dementiae et confirmat ad rectius viuendum."

gloriolam et ignominiam foedam, non libertatem, sed seruitutem, sibi peperit homo, cogitatione. Huic tamen accedere debet, et facile accedit in animis nondum plane perditis, conscientia ingratae mentis aduersum benignissimum Numen, persidiae, quoties Deum patrem compellauit, vel in sacramentis obedientiam ei iurauit, commissae, veraeque in illum seditionis, grauissima poena (quam mortis et supplicii nomine signat scripture sacra) merito afficienda. Quae omnia, ferio ponderata, non possunt non moerorem illum vtilem, illam, vt Paullus 2 Cor. VII, 10. vocat, *λυπην κατα θεον εις τωνεαν, μετανοιαν α' μεταμελητον*, excitare et alere, qua percitus demuin hominis animus et ad veniae a Deo impetranda spem, et ad nouum virtutis studium procluis esse potest. Haec igitur omnia quauis data occasione religionis doctores vrgere et, quam necessaria sint homini, oculos ponere debebant, quamquam omnino vanum sit, definiire ac poscere certos gradus ac modos, quibus incalescere animus, moerore impleri, mberoremque suum aut alere aut excutere et lacrymis offendere debeat. Res enim haec magis nisi debet claris viuidisque notionibus, quam affectibus; et sufficit hoc vnum verumque verae poenitentiae signum, vt peccatum odio habeatur ac damnetur, atque vt sanctiora capiantur propofita^t). Hos vero precibus declarandos esse resipiscientiae sensus Dei ipsius causa, nemo dixerit; ad incendendum vero recti studium, ad acuendam curam officii conseruandi, per quam frugifera, per se aequa iusta-

t) Summa acuminis et facundiae vi hoc argumentum persecutus est venerabilis senex, *Spaldingius*, libro quinques iam typis vulgato: Gedanken über den Werth der Gefühle in dem Christenthum, sect. II.

XLII

iusta que est haec supplicatio, atque, vbi serius est poenitentiae sensus, naturali impulsu sponte secutura.

§. XII.

V. *Precatio votiva, sive deuotio sui.*

Supereft quintum denique precationis argumentum, quod conftat ſponſione obedientiae Deo ab homine danda, ſeu *deuotione et conſecratione ſui ipfius* ad illum cultum, quem Deo debet. Non itaque fermo eft de votis pro lubitu fuceptis, vel de promiſſionibus ex pietate et grato animo, vel adeo cum conditione beneficij alicuius diuini, praeftantis, cuius generis plura exempla in ſacris Iudeorum hiftoriis occurruunt; quid ſentiendum de hisce votis arbitriis, deque operibus per illa fuceptis indebitis et ſupererogatoriis, ut vocant, huius loci non eft disquirere. Loquimur enim de debitis Deo votis, de debitorum Deo officiorum ſtipulatione. Atqui debere Deo officia homines nos, vel indoctis id luculenter demonstrari potest ex imperio huius vniuersi, quod ad ſolum Deum pertinet. Quid autem velit a nobis fieri et quaenam officia fuſcipi, ſatis declarauit, cum ſenſu recti, nobis inſito, tum vniuersae naturae noſtræ conſtitutione, denique etiam peculiariibus legatis, maxima ab ipſo auctoritate ornatis et confirmatis, quorum ſummus omnium Ieſus Christus fuit. Interpres legum diuinarum, his viis noſbis promulgatarum, eft ratio noſtra, non legislator ipſe. Atque has leges diuinas cuſtodiendi et ſancte obſeruandi nouam auctamque obligationem per hoc genus precum fuſcipimus, nouosque voluntati noſtræ ſtimulos addimus. Grauitate enim in hisce precibus recordamur tam iſorum officiorum noſtrorum, quam cauſarum, quibus ad ea fernanda compellimur, ac reſtauramus ipli Deo fidem noſtram in illis feruan-

seruandis. Quae reuerentiae et pietatis exercitatio sine dubio saluberrima est, atque reliquis nostris precibus merito semper adiungenda.


Sunt singularia quaedam instituta, hanc sponsonem magis adhuc finciendi, quae *sacramenta* vocamus Christiani. Nolumus iam veram vim vocabuli huius $\alpha\gamma\epsilon\alpha\phi\sigma$, quae admodum est disputata, vel ea, quae propria, perpetua et necessaria sint istorum rituum, explorare; hoc vnum dari mihi velim, sacramenta, quae nos quidem vocamus, baptismum nempe et sacram coenam, hoc inter alia habere commune, ut sint sollemnes ac publicae professiones et pollicitationes fidei et officii, seu $\sigmaυνειδοστως \alpha\gamma\alpha\thetaης \epsilon\piερωτηματα$ $\epsilon\tau\eta\sigma$, vt alterutrum, baptismum nempe, ipse Petrus, I. ep. III, 21. vocavit. Conuenit autem haec notio vtrique instituto ex natura, fine et omni apparatu suo; et conuenit huic notioni vox *sacramentum*, quam veteres potissimum de iuramento fidelitatis usurparunt, quod ciues regi, milites imperatori, dicunt. Atque istam notionem, perspicuam et aptam aeque ac fructuosam, in primis cuperem explicari diligenter et illustrari nouitiis religionis nostrae confessoriibus. Liceat mihi, mantisse loco, sententiam meam de sacramenti posterioris institutione ac de formulis istis, quae, tot interpretum explicationibus diuexatae, valde tristes et innumeras controuersias in ecclesia mouerint, liberaliter exponere. Finita coena sumississe Christum legimus panem prece consecratum, et discipulis suis porrexisse, dicentes: fumite, edite, hoc est corpus meum datum et fractum pro vobis cet. Duas ergo res exhibebat simul, panem, quem, quia ipsis suis videbant oculis, haud nominat; corpus sum, breui panis instar frangendum, hoc est, morti tradendum. Formulam vero illam: hoc est corpus meum, sensu proprio

XLIV

non esse interpretandam, liquido putet, quia nemini conuiuarum in mentem venire poterat, sumi et comedere se visibile illud et carneum corpus Christi. Est itaque locutio metonymica, qua causa pro effectu et medium pro fine ponitur. Corpus Christi significat *sacrificium eius expiatorium*, quod Christus ipse indicat eo, quod corpus suum non generatim, sed quatenus frangendum iam vel morti tradendum est, memorat. Atque eodem sensu dicit Petrus I. ep. II, 24. Christum peccata nostra ipsum sursum sustulisse *in corpore suo*, super lignum illud, quasi super altare, cet. Tradit igitur Christus conuiuis suis omnem vim et omnem fructum sacrificii, corpore suo oblati, remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, animae salutem. Haec bona omnia iubet discipulos suos sumere, id est acceptare firmam fidem sibi tribuere, et comedere, hoc est frui illis et gaudere; quemadmodum idem sumitur vocabulum Ies. III, 11. Iusti fructum actionum suarum comedent, et multis aliis in locis. Eadem ratio est, quando Christus vinum prece consecratum porrigit discipulis, dicens: bibite omnes; en *sanguis meus*, et noui quidem testamenti, vel foederis potius (ex antithefi veteris, et victimarum eius) effusis pro multis in remissionem peccatorum: hoc facitote in mei commemorationem. Porrigit ergo, primo vinum, quod praestit erat; deinde sanguinem suum, qui, quid sibi velit, Paullus explicat, Ephes. I, 7. vbi in Christo habere nos redemtionem per *sanguinem ipsius*, docet, itemque Iohannes I. ep. I, 7. *sanguis Iesu Christi*, inquit, ab omni peccato nos puros reddit. Panis igitur et vinum symbola sunt corporis et sanguinis Christi, ei simillima, quibus usus est, ut habeant coniunctae aliquid, quod in sensu incurrit, et rem inuisibilem, nempe piacularis mortis Christi bona, explicet. Duo vero symbola instituit Iesus, et repetita actione fungi iussit, celi et potu, ut res significalta

ta fortius animis imprimeretur et inhaereret. Simplicem hanc interpretationem confirmat et hoc, quod panem praebens et vinum non ait Christus: ἡτος ὁ ἀρτος εσι το σωμα μου, ἡτος ὁ αἷνος εσι το αἷμα μου, sed τετο, illud, res illa, quam trado vobis, εσι το σωμα μου, και το αἷμα μου. Atque sic quidem conjuncta secum sunt signa et signata, et haec quoque in illis praesentia quodam modo dici possunt; de modo tamen huius praesentiae, vtrum fiat per mutationem signi in signatum, an quaedam hic cogitari debeat immanentia vel *αδιασασια*, superfluum plane et vanum erat disputare. Nec locum habiturae fuissent vniquam tot seruidae ac diurnae contentiones, dummodo facilem hanc formularum istarum explicationem, quam et occasio ac tempus, quo Christus illam coenam sacrauit, et natura ipsius instituti, et consuetudo loquendi biblica, commendant, retinuissent interpretes. Ita simul dignitas et grauitas huius sacramenti luculentius perspicitur, quo Christus ipse suis cultoribus omnem promeritorum suorum vim omnemque fructum attribuebat, hodieque adhuc per suos ministros attribuit. Neque iam instar magni tremendique mysterii est tale epulum, sed laetabile solamen et incitamentum insigne ad fidem Christo habendam, et ad mandata eius renouato studio exsequenda.





5
DISSERTATIO INAVGVRALIS
AD
CHRISTIANAE DISCIPLINAE PRAECEPTVM
DE PRECANDI OFFICIO
OBSERVATA QVAEDAM POTISSIMVM PRACTICA
CONTINENS
QVAM PRO CAPESSENDIS
SVMMIS IN THEOLOGIA HONORIBVS
ORDINIS THEOLOGORVM HELMSTADIENSIS

IVDICIO SVBIECIT
CONCIONATOR SEMISECVLARIS
LVDOVICVS CHRISTOPHORVS SCHMAHLING

ECCLESiarum et SCHOLarum PER DIOCESESIN OSTERAVICENSEM
IN PROVINCIa HALBERSTADIENSI ANTISTES ET PASTOR
PRIMARIUS OSTERAVICENSES.



HELMSTADII
LITERIS C. G. FLECKEISEN.
CIPIDOCCLXXXVIII.

J. P. Neator

